







מקשרה et קשרים

h. c.

## EXAMEN VERNALE

EX GENES. XXX, 41. 42.

ILLVSTRAT

ET

RATIONE LABORVM IN SCHOLA FREIBERGENSEI

DOCENDO ET DISCENDO

ADHVC COLLATORVM

REDDITA

AD ORATIONES DISCESSVRORVM COMMILITONVM

OBSEQUIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXVII.



**L**ustratio pubis scholasticae publica, quae instat, sub veris auspiciis re-  
 nouanda, oues Labanis, artificiosa fetura commemorabiles, in me-  
 moriam reuocat, quas textus sacer חרשורא, Lutherus autem *vernas*  
 (die Frühlingsheerde) adpellat. Quum enim Iacobus auunculo La-  
 bani pecudes per quatuordecim annos pascendo fidelissima seruitia praec-  
 sitisset, simul vero subdolum huius animum multis experimentis per-  
 spexisset, nunc diuinitus admonitus, de peculio suo a Labanis grege secernendo  
 cogitabat. Hac mente oues et capras discolors segregabat, sibi que ut non nisi  
 vno colore imbutae cederent, cum eo paciscebatur. Ipse autem per ingenii  
 solertiam naturalis scientiae secreta edoctus, consilium de adulteranda fetura fe-  
 licissime exsequebatur. Quum enim haud nesciret, quanta vis imaginationis  
 esset in fetu variando, et quam facile eadem ab errore externo moueretur,  
 quales nasci fetus optabat, tales species oculis concipientium obiciebat, virgula  
 ex arboribus recens resecta, et cortice alternis internallis detracto, variegata,  
 in alueos atque aquaria coniciens, ut foemellarum oculi, quum potum accede-  
 rent, his illecebris intenti percellerentur, et pullos discolors eniterentur.  
 Neque tamen virgas illas omni generi pecudum, quum concipiendo incalesce-  
 rent, obiciebat, ne grex maleuoli Labanis nimium minueretur; sed hanc cu-  
 ram ad eas tantummodo pecudes adhibebat, quae חרשורא, h. e. *vegetiores ac*  
*robustiores* videbantur, eas autem, quas ערשורא h. e. *inferiores et debiliores* co-  
 gnouerat, deliberato consilio negligebat. Et prior quidem dictio, vi originis,  
 oues bene colligatas et vinciendo firmatas, adeoque robustiori corpore praeditas,  
 indicat, quia firmitus et validius euadit, quicquid vincitur et colligatur: altera  
 autem imbecilliores et minoris corporis pecudes repraesentat. Quo sensu  
 LXXles επισημα et άσημα h. e. *nobiles et ignobiles* in medium adferunt,  
 AQVILA autem חרשורא in πρωμα, SYMMACHVS in πρωτογονα, et HIE-  
 RONYMVS in oues primi temporis, vel vnales, conuertunt, et eadem mente  
 ערשורא per όψιμα, δευτερογονα, serotinas vel autumnales exprimunt. Et He-  
 braeorum quidem plurimi priorem feturam ad mensem Nisan, posteriorem ad  
 Tisri referunt, quorum ille nostro Martio, hic Septembri respondet. Quamuis  
 enim in terris orientalibus oues non ter per annum fetum enitantur, quo no-  
 mine Libyam HOMERVS commendat, canens: a)

τρις γαρ τικτει μηλα τελεσφορον ες ενιαυτον,  
 h. e. *oues ter pariunt per annum perfectum*: certe tamen bis illud fieri, rerum  
 in oriente gestarum scriptores diserte consitentur. b) Quod si igitur Iacobus  
 oues vernas sibi uendicauit, procul dubio praestantissimas praepoptauit. Atenim-  
 uero autumnales vernis longe esse praefereudas, rei rusticae scriptores vno ore  
 adfirmant. Ita enim COLVMELLA: c) *melior, inquit, est agnus autumnalis*  
 verno,

a) Odyss. A. 86.

b) Scheuchzer. Phys. sac. Vol. I. p. 133.

c) L. VIII. 3.



verno, quia magis ad rem pertinet, ut ante aestivum, quam hibernum solstitium conualescat, solusque ex omnibus animalibus sub brumam commode nascitur. Consentit PLINIVS; d) hibernos agnos praeserunt vernis, quoniam magis interest, ante solstitium, quam ante brumam firmos esse. Quae quum ita sint, omnem difficultatem feliciter superabimus, adfirmantes, in loco Geneleos allegato de duplici fetura fermonem non esse. Namque in grege Labanis duplicis generis pecudes erant, aliae debilioris et minoris, aliae corporis maioris et robustioris. Ex posterioribus fetum sibi iacobus optabat, ceterarum sobolem in suo grege augeri, non curans. Et huius quidem desiderii ratio haud videtur obscura. Hoc enim modo non solum ipse eximias pecudes fortiebatur, sed Labanis etiam greges non tam cito minui videbantur; quod si factum fuisset, procul dubio bilem denuo isti mouisset, aut certe fraudis suspicionem inieisset. Ita vero e robustis matribus (en! מְקַשְׂרִים) robusti etiam fetus sui similes procrearent. nasebantur, quum e contrario oves debiles etiam fetus sui similes procrearent.

Haec sub ipsa auspicia examinis vernalis ideo praefari placuit, ut intelligamus, quam felix sit ea schola, cui praesunt magistri, qui ipsi מְקַשְׂרִים, h. e. studiis, laboribus atque officiis mutuis colligati, fide atque industria iuvenes suae disciplinae commissos itidem מְקַשְׂרִים reddunt, h. e. virtutum atque bonarum artium cultura animos firman, ut *sapientia munita* euadat, quam HORATIVS noster commendat. e) Ne igitur nesciant, quorum scire interest, quid adhuc in schola nostra tam docentes quam discentes praestiterint, indicem cum lectionum tum orationum habitarum hac tabula impertimus.

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN, Rector,

in *praelectionibus sacris*, Huttero duce, capita de imagine diuina, providentia, peccato, et libero arbitrio exposuit, in *historia sacra* vero repurgationis sacrorum saec. XVI. feliciter coeptae, praeludia atque auspicia est persequutus. *Hebraicae linguae* fundamentis, quae, Starckio lucem praefereute, est auspiciatus, doctrinam de verbis mox adiunget, ex *codice Hebraico* autem cum hebraeophilis psalmos resoluit. In *graeco sermone* praelegendo *Hesiodum* et *Plutarchum* suos exercet, et illius quidem Scutum Herculis nuper ad finem perduxit, in huius autem *Paedagogia* capita IX-XIV. absoluit. In *arte rhetorica*, compendio Omeisiano usus, genera caussarum et locum de inuentione excussit, exercitii autem caussa *Ciceronis* Orationes *Catulinarias* in exemplum proposuit, et imitando illustravit. In *Ouidii* *Metamorphos.* Lib. XI. et XII. et *Horatianorum* *Carminum* Lib. I. II. et III. explanauit. *Antiquitates* et *Mythologiam* ex Nieuporti libro repetiit, ex *Geographia* autem anteriores prouincias Europae recensuit. Quid ad stilum vtriusque sermonis et generis dicendi formandum, elaboretur, scripta illorum auditorum publica et priuata docent, qui ad leges et scholae et conscientiae vitam conformant. De reliquo

*Ignauum fucus pecus à praesepibus arceat. f)*

M. IO.

d) Hist. Nat. VIII, 47.

e) L. III. Od. 28.

f) Virg. Georg. IV. 168.



M. IO. ANDR. LVTHERVS, Conrect.

*publice* in libris noui Instrumenti absoluit I. Cor. VII - XII. in *Mathesi*, absoluta architectura militari et ciuili, ad explicandam Astronomiam progressus est. In *Logicis* doctrinam de syllogismis proposuit. In *Cornelio Nepote* vitam et res gestas Titi Pomp. Attici persequutus est. In *Ciceronis Officiis* ex Lib. III. cap. VII - XXIV. illustrauit. In collegio publico progressum emendatae per Lutherum religionis usque ad eius diem emortualem ob oculos posuit: deinceps ad explanationem *historiae uniuersalis* Cellarianae reuertet, in cuius saeculo III. subfluit. *Priuatim* in *epistolis Ciceronis* ad diuersos Libr. I. in *Iustino* Libr. XLII, et XLIII. absoluit. In *Hübneri historia* fundamentali historiam Imperatorum Austriacorum pertractauit: in *Geographia* circulos Saxoniae inferioris et superioris perlustrauit. Praeterea ad *stili elegantioris* culturam, publice bina et priuatim vnum per singulas hebdomadas pensa alternis viribus e graeco in latinum, et e latino in vernaculum, et de germanico in latinum conuertenda dedit: *poëfos etiam germanicae et latinae* elementa adductum cel. Gottschedii tradidit.

M. IO. AVG. HARZBACH, Coll. III.

in Classe II. absoluta *Andria Terentii* ex Eunucho Actus priores usque ad Actus III. Scenam III. ex Starckio autem fundamenta lectionis *Hebraicae* exposuit. In Classibus III. et IV. ex *Compend. Theolog.* articulos de Poenitentia, Sacramentis in genere, et in specie de baptismo et S. coena tradidit; ex Fabricio *Historias sacras* à pag. 244 usque ad 260. ex Koebero *dicta Graeca* de Lege atque Evangelio, ex *poëtica* Langii regulas generales, speciales, et specialissimas de quantitate syllabarum explicauit. Priuatim ex N. T. cursoria lectione *Epistolam ad Colossenses*, et priorem ad *Thessalonicenses*, ex Hofmanni Compositione *Syntaxin ornatam*, ex *Aesopo* Fabulas 124 - 144. et ex *Catonis* libro IV. pensa XXVI. explanauit. Publice et priuatim elaborata et emendata profant pensa 48. et poëtica 21.

IO. CHRISTOPH. KESSEL, Cantor et Coll. IV.

id sibi datum esse intelligens, ut pubes suae fidei ac curae commissa firmis Latini sermonis principiis innutriatur, non solum *Langianam Grammaticam* diligenter cum suis auditoribus exercuit, sed etiam, ut iidem praecepta et tirocinia grammatica concinne applicata perspicerent, atque in succum et sanguinem conuerterent, *Colloquiorum* eidem Grammaticae subiunctorum priores IV. Decurias interpretatus est, quae in vernaculum sermonem conuerti iussit, conuersa emendauit, et imitando illustrauit. Eos autem, qui tam voce quam fidibus cantando delectantur, non publice tantum, sed priuatim etiam utroque modo ita instituit, uti officii partes postulant, et commodum publicum exigit.

GOTTFR. GEBHARD, Coll. V.

in lectionibus, quae *publicae* audiunt, quinti et sexti ordinum tironibus ex principiis theologiae explicuit, quod reliquum erat capitis de lege, deinde tradidit dogmata



dogmata de Deo, creatione, providentia, Christo, et facta per eum redemptio-  
ne, scil. à quaestione 74. usque ad 226. *Enchiridii Dresdensis*. Quintanis se-  
paratim Grammaticas Lat. regulas etymologicas et syntacticas, nec non aliquot  
Colloquia ex *Langiana Collectione*, nempe à Decuria VII. usque ad Decuriam X.  
explanavit. In *privatis* continuavit sacrum *Starckii Enchiridium*, itemque *Mu-  
zelii Vestibulum*, nec non *Hofmanni Introduct. in lingu. lat. et Heermanni Praecepta  
moralia* Hemislichii Latinis et rhythmis germanicis expressa, proposuit. Quae  
privatissime docet, hic non attinet commemorare. Hoc potius voto lectiones  
suas obsequat;

*Nobis ut Musae, torpentes pene, vigescant,  
Da pacem, patriae redde patremque, DEVS.*

IO. GOTTFR. FRITSCHE, Coll. VI.

ex *Grammatica Langiana* proposuit 1) partem etymologicam, 2) praeter gene-  
rales syntaxeos regulas vnam adhuc atque alteram, quam pro tironum captu neces-  
sariam duxit, 3) nonnulla colloquia, quae in Decuria VI. et VII. continentur.  
Ex *Feindii Florilegio* Decurias VII. nempe à LXXVI. usque ad LXXXII absol-  
vit, easque exemplis atque imitationibus illustravit. Porro Magnif. *Wiltschii  
Isagogen* catechetica ad biblia salutariter legenda adhibuit, itemque *Catechis-  
mum Dresdensem* et *Psalms Dauidicos*, quos dicunt, poenitentiales, expositi-  
one praemissa, memoriae propinavit, Tandem litteras pingere suae curae  
commisissos docuit.

IMMANVEL STEIGER, Succentor,

praeter elementa *linguae latinae* pueris suae institutioni traditis initia *doctrinae  
christianae* impertit, et quaestiones ex catechismo Lutheri non solum enuclea-  
vit, sed memoriae etiam imprimendas exercuit. Praeterea *historias sacras*, ab  
Hübnero in compendium redactas, et ad repetitionem concinnatas, adcurate per-  
sequitur, quarum semestri spatio viginti quatuor pertractavit.

Iam vero à laboribus docentium ad studia discentium procedamus;  
visuri, in quibus horum diligentia fuerit occupata. Perorarunt nempe

MDCCLVI.

IANVAR. d. 13. vota publica ad ductum Paulli (1. Tim. II, 1.) nun-  
cupata persolventes Fr. Gotth. *Bidermann*, Naumb. oda *germanica*, Io. Chr.  
*Daschke*, Pilsn. et Car. Fridr. *Müller de Berneck*, Olbernhau. *Hebraice*, Aug. Beni.  
*Otto*, Lommat. et Maur. Fr. *Engel*, Chemn. *Graec.* Io. Gotth. *Richter*, Niderschön.  
et Mich. Traug. *Seifert*, Olbernh. *Latine*, S. I. Dan. *Naumann*, Freib. et Car. Fr.  
*Winter*, Dresd. *Gallice*. Christ. Gotth. *Maeschel*, Freib. et Chr. Ehreg. *Wunderlich*,  
Colmn. *Germanice*. Fr. Gotth. *Teichmann*, Freib. *Italice*. *Programmata IVVE-  
NALIA* exponebat. d. 21, Chr. Ehr. Lebr. *Tzschöckel*, Freib. de necessaria salu-  
tis aeternae cura, *Lat.*

FEBRVAR.



FEBRUAR. d. 1. Io. Gotth. *Geisler*, Freib. de terrae motibus, recte considerandis. d. 18. Io. Georg. *Knebel*, Niderschön, de somni beneficio. d. 20. valedicens Fr. Sam. *Fritsche*, Freib. de die Concordiae, D. Lutheri emortuali, *Lat.* cui gratulabatur *Gall.* Chr. Ehreg. *Schneider*, Freib. de necessitate societatum humanarum. *Progr.* de *מה ער ומה* *Mal.* II, 12, d. 25. Maur. Erdm. *Engel*, Chemn. de somni damnis.

MART. d. 3. C. E. L. *Tzschöckel*, de fructibus passionis I. C. d. 10. Chr. Gottl. *Kroeber*, Dresd. de somno haud abutendo. *Lat.* et Traug. Sigm. *Güntber*, Längenhennerfd. de eod. arg. *Germanice.* d. 17. Maur. Fridr. *Engel*, de memoria perfectionum et mortis I. C. d. 23. Fridr. Gottl. *Bidermann*, Naumb. valedicens, de scholarum cum metallurgia comparatione. *Progr.* Dn. CONR. de animae humanae origine Eod. die valedicentes Chr. Fr. *Greif*, Mitweid. quae sint merita Ethnicorum de religione Christiana. *Lat.* Christ. Theod. *Küchenmeister*, Dorfh. tempora praesentia perperam adulari, *Anglice*; Io. Fr. *Kämnitz*, Biberst. scientiarum insignem influxum esse in humanos adfectus, *Germ.* et Io. Fr. *Döring*, Haynich. de vero pretio sapientiae. *Germ.* Gratulabatur Io. Aug. *Bienert*, Freib. carmine *Lat.* de modo omnibus in rebus seruando. *Progr.* I. de doctis Freibergeribus, d. 30. valedicens M. T. *Seifert*, de iniusto consilio, suam fortem ad aliorum fortunam referendi. *Germ.* C. Beni *Stoll*, Taubenh. vitae curriculum Car. Gottl. *Glaseri*, Gelenau. ministerii candidati, commilitonis nostri quondam optimi, nuper defuncti, percensebat. *Germ.*

APRIL. d. 2. valedicens Ern. Gottl. *Richter*, Oberschön, de re metallica. *Germ.* et Gottl. Fr. *Grundig*, Sayd. istum omnino indignum esse republ. qui suo tantum commodo seruit. *Lat.*

MAI. d. 4. Christl. Ben. *Funcke*, Hartenstein, valedixit *Lat.* d. 5. Io. Gottfr. *Schmidt*, Hezdorf. de recto linguarum usu, *Germ.* Io. Cph. *Einborn*, Langenau. de dignitate scholarum, *carmine Germ.* d. 26. Polyc. Ehrenfr. *Lechla*, Haynich. de vera hominis dignitate. *Germ.*

IVN. d. 15. valed. Io. Cph. *Voigtländer*, Marbach. *Germ.* d. 16. F. G. *Teichmann*, *Lat.* et Chr. Gabr. *Müller*, Olbernh. *Germ.* de vestigiis verae religionis in scriptis ethnicorum. d. 18. pro beneficio Richteriano Cph. Fr. *Tillner*, Pappendorf. *Lat.* de beneficiis, scholarum fuleris. *Progr.* de discipulis extraneis, in schola Freib. versatis, *Contin. IX.* Eod. die valed. Io. Chr. *Pietsch*, Borsdorf. prouidentiam diuinam optimum esse praesidium in rebus aduersis. *Germ.* d. 23. C. E. L. *Tzschöckel*, de studio emergendi. *Lat.* et Io. Cph. *Einborn*, de laudibus temporis vernalis. *Germ.*

IVL. d. 16. Gottfr. Imman, *Zacharias*, Frauenst. in memoriam beneficii Hennigiani, de iure pauperum. *Germ.* d. 21. Ern. Ehrenfr. *Steglich*, Burkardswald, de officina scholastica cum nundinis comparata. *Germ.*

AVG.



AVG. d. 3. in memoriam nominis regii Io. Gottl. *Bidermann*, Naumb. de clementia, praecipua principis virtute, *carm. Germ.* Chr. Ehreg. *Schneider*, Freib. et Io. Christ. *Böhme*, Dresd. de clementia, cum aliis virtutibus collata. *Gallie*, Christ. Gotth. *Meyer*, Freib. et Gabr. Traug. *Schneider*, Dippoldisw. de felicitate prouinciae, cui princeps clemens praeesit, *carm. Lat.* Io. Gottfr. *Stecker*, Freib. et Io. Gottl. *Burckard*, Tannaeburg. quod est diuinum in clementia principis, *carm. Germ.* Ern. Ehrenfr. *Steglich*, *carm. Germ.* gratias auditoribus agens. *Progr.* de numis ad rem metallicam conformatis, *Cont. V.* d. 4. Car. Beni. *Gnauck*, Hartmannsd. de pulcritudine breuis morae, *Germ.* d. 18. Gottfr. Beni. *Weber*, Dippoldisw. *Lat.* et Car. Sigm. *Facilides*, Stauch. de necessitate varias linguas addiscendi, *Germ.* d. 25. Chr. Gottl. *Schmidt*, Burckardsdorf. de beneficio pacis, *Germ.* Io. Fr. *Helbig*, Tuttendorf. in memoriam beneficii Ienichiani, de vera ratione decori. *Lat.*

SEPT. d. 1. Io. Gottl. *Burckard*, de recta temporis diuisione, *Germ.* d. 17. I. C. *Einborn*, de similitudine militis Romani et discipuli. *Germ.*

OCT. d. 13. I. G. *Burckard*, de auaritia, omnis mali fonte. *Germ.* d. 27. Io. Fr. *Rissmann*, Lüterbock. de praeslantia patientiae. *Germ.*

NOV. d. 24. Io. Gottfr. *Stecker*, Freib. de pace, nunquam vel satis optanda vel commendanda. *Germ.*

DEC. d. 8. Ehrenfr. Gotthart *Colditz*, Tannaeburg. de vero eruditionis pretio. *Germ.*

#### MDCCLVII.

IAN. carmen *Lat.* sub anni auspiciu publicae luci exponebatur inscriptum: Armata anni auspicia armatis precibus prosequenda.

FEBR. d. 9. in obitum dilecti commilitonis *Fridr. Gottlieb Wiefemanni*, Freib. de commodis mortis praecocis perorarunt Maur. Fr. *Engel*, Chemn. *Lat.* et Gottfr. Henr. *Ientzsch*, Schwarzenberg. *Germ.* d. 15. Idem argumentum persequeretur Maur. Erdm. *Engel*, Chemn. *Germ.* d. 18. valedicens Io. Fr. *Pistorius*, Freib. bellum ducentis abhinc annis inter Electorem Saxoniae, Mauritium, atque Marchionem Brandenburg. Albertum, magna animorum contentione, neque minore patriae detrimento gestum, describens. Gratulabatur I. F. *Helbig*, de illecebris virtutis *carmine Germ.* exponens. *Progr.* de Lua, veterum dea piaculari. d. 23. I. C. *Einborn*, de usu S. Scripturae multiplici. *Germ.*

MART. d. 2. Cph. Ad. *Frey*, Leubsdorf. de vi sacrarum litterarum in docendo et commonefaciendo. *Germ.* d. 9. Chr. Fridr. *Wittig*, Ioh. Georgenstad. de fructu ex lectione auctorum classicorum expectando. *Germ.* d. 16. Beni. Gottfr. *Schweickert*, Dinsdorf. de efficacia verbi diuini in hominum animis commouendis. *Lat.* d. 23. valed. Io. Euseb. Gotth. *Bilz*, Grünthal. de optanda pace. Eod. die Fr. Wilh. *Müller*, Wildenfelf. de veteri ritu, mortem expellendi. *Lat.* Io. Gottl. *Bidermann*, de usu fabularum ethnicarum morali. *Lat.*

Vides igitur, beneuole lector, quid magistri docendo adhuc praesliterint, et quid auditores, iique diligentiores, elaborando tentauerint, Vides praecepto-

res



res colligatos, h. e. uno consilio vnaque voluntate ad salutem discipulorum conspirantes, et vides discipulos erectioris animi laudabili industria prae aliis commendandos. Ego autem nihil magis in votis habeo, quam ut schola nostra porro eadem cum Iacobo fideli atque industrio felicitate fruatur, quae sub finem capitis in fronte huius scriptionis allegati his verbis legitur expressa: ירפץ האיש מאד מאד, h. e. *tunc opes atque facultates illius viri mirifice augebantur*. Neque desperamus, id futurum, si Deus, quod continuis precibus oramus, publicam tranquillitatem, sedibus priscis fere exagitata, reuocauerit, magistri autem atque discipuli uno studio colligati manserint, partibus demandatis tanta fide quanta contentione perfungentes.

Horum numero iure ac merito accenseri posse et debere duo illos adulescentes, qui non tantum loci scholastici propinquitate atque animorum consensione, sed etiam studio artis medicae consociati, legitimis hac in schola confectis, ad abitum in academiam sese accingunt, omnes ac singuli nostri ordinis magistri uno ore confitentur, Paucis multa complectar, si verbis OVIDII eos commendauero: g)

*Cum facie ambobus mores natura pudicos  
Et raras dotes ingeniumque dedit.*

Ne autem pietatis immemores discedant, officii partes concinnis orationibus, iisque ad futurum suae vitae genus adcommoatis, exsequuntur, et deinceps gratias iis, quibus sese obstrictos sentiunt, religiose persoluent. Et alter quidem,

CAROL. FRIDR. HINDENBURG, *Dresd.*

filio Latino de *Numinibus veterum medicis* exponet, gratias autem agendas carmine Teutonico complectetur. Alter

SALOM. DAN. NAVMANN, *Freiberg.*

quod nomen Parens mature ereptus nobilitauit, de *diaceta, omnium praestantissimo medicamento*, perorabit, et gratiarum actionem verbis Francogallicis subiunget. Quo facto, suo atque comilitonum nomine iuuenis probatae mentis atque industriae,

*Christian Ehbregott Wunderlich, Culmnit.*

amicis quotidiana consuetudine cognitis auspiciam discessum gratulando adprecabitur, ex oda Horatiana, quam nuperrime explicauimus, h) *bonam conscientiam, tanquam optimum viaticum* ostensurus.

VOS igitur, PATRONI ac FAVTORES, eam humanitatem, qua litteras et earum studiosos complecti soletis, etiam ad hoc institutum adferre, Vestrae praesentia, quam cras, finitis ante meridiem sacris, expectamus, veluti nouis stimulis non tantum docentes sed discentes etiam excitate, ut ad laudem honestam auide adsurgant, suaeque fide atque industria aditum sibi sternant ad gloriam nunquam intermorituram. P. P. *Freiberg.*

d. XXI. Mart. MDCCLVII.

g) Trist. III. El. VI.

h) L. II. Od. XVI.











Yb 627

(1/80)

ULB Halle  
002 103 591



3

7A-200











מקשרה et קשורים  
h. e.

# EXAMEN VERNALE

EX GENES. XXX, 41. 42.  
ILLVSTRAT

---

ET  
RATIONE LABORVM IN SCHOLA FREIBERGENSEI  
DOCENDO ET DISCENDO  
ADHVC COLLATORVM  
REDDITA  
AD ORATIONES DISCESSVRORVM COMMILITONVM  
OBSEQVIOSE INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN  
RECT.

---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXVII.

